



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorvm Evangelicorvm D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

17. Gratia & veritas per Christum facta est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

clamantem, id est, clamare facientem, *Abba Pater*, id est, quæ facit vos Deum diligere vt patrem. *Itaque iam non estis serui, sed filij.* Idem Beza ad verba Pauli ad Rom. citata, in verbo quidem *χρησασθε* ludit, vt beneficium illud noter, quo Deus Christi iustitiam nobis imputat, & sic gratificat nos in Christo (quod eius figmentum in caput ad Rom. s. latè refutauimus) sed de verbo *χρησασθε*, de gratia Christi, & dono per gratiam Christi in nos redundante, nihil profus impostor dicit. Ita quando corrumpere Scripturas nequeunt, omnem ipsarum tractationem callidè prætermittunt.

17. *Gratia & veritas per Christum facta est.*

Gratia per Christum facta est (ait Augustinus) vt data *Cōtra Falsam*
Indulgentia peccatorum, quod in lege præceptum erat, ex sum lib.
 Dei dono custodiretur. Duo dicit per Christum facta, remis- *22. cap. 6.*
 sionem peccatorum, & gratiam implendi legem. Vtriusque sanè tota Trinitas author est. Sed hæc per Christum facta dicitur, quia solus Christus hæc duo nobis promeruit, obtinuit, procurauit. Designatur hinc causa instrumentalis diuinitati coniuncta. Vtrumque etiam hoc verbo gratiæ comprehendit agnoscit hoc loco Caluinus. *Gratia* (inquit) *nomen generaliter accipio tam pro remissione peccatorum, quàm pro renouatione cordis, denique quicquid ad spiritualem iustitiam spectat. Eius autem duæ sunt partes: quod gratis se nobis Deus conciliat, & quod legem suam cordibus inculpsit iuxta Hierem. verba cap. 31. vers. 31. ac intus per spiritum suum in illius obedientiam homines reformat.* Hæc ille. Quæ valde notanda sunt. Duæ enim Caluini hæreses hæc explicatione euertuntur. Imputatiua iustitiæ, & mandatorum obseruatio nemini possibilis. Nunc enim præter remissionem peccatorum agnoscit spiritualem iustitiam in cordis renouatione positam, & per hanc renouationem ad legis obedientiam corda reformari. Hoc effecit huius loci euidentiæ, quæ fucum non admisit.

*Caluina-
na hæreses
ex ipso Cal-
uino refu-
tata.*

29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Vocat Christum agnum Dei, quasi victimam singularem à Deo datam; non vt agnum Paschalem. aut agnum qui quotidie mane ac vespere offerebatur, qui peccata tollere non poterat; sed vt agnum illum qui *sicut ovis ad occisionem ductus*